



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XV. Quod gratia devotionis humilitate & sui ipsius abnegatione  
acquiritur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)



in bonitate tua proficiat; & charitas semel perfecte accensa, & cœlesti manna experta, nunquam deficiat.

3. Potens est autem misericordia tua, etiam gratiam desideratam mihi præstare, & in spiritu ardoris, cum dies benèplaciti tui advenerit, me clementissime visitare.

Etenim licet tanto desiderio tam spiritualium devotorum tuorum non ardeo, tamen de gratia tua, illius magis inflammati desiderii desiderium habeo, orans & desiderans, omnium talium fervidorum amatorum tuorum participem me fieri, ac eorum sancto consortio annumerari.

### CAPUT XV.

*Quod gratia devotionis humilitate & sui ipsius abnegatione acquiritur.*

### VOX DILECTI.

I. Oportet te devotionis gratiam instanter quærere, desideranter petere, patienter & fiducialiter expectare, gratanter recipere, humili-



militer conservare, studiose cum eo operari, ac Deo tempus & modum supernæ visitationis, donec veniat, committere.

Humiliare præcipue te debes, cum parum aut nihil devotionis interioris sentis; sed non dejici, nec inordinate contristari.

Dat sæpe Deus in uno brevi momento, quod longo negavit tempore: dat quandoque in fine, quod in principio orationis distulit dare.

2. Si semper cito gratia daretur, & pro voto adesset, non esset infirmitas homini bene portabile.

Propterea in bona spe, & humiliter patientia, expectanda est devotionis gratia. Tibi tamen, & peccatis tuis imputa, cum non datur, vel etiam occulte tollitur.

Modicum quandoque est, quod gratiam impedit & abscondit; si tamen modicum, & non potius grande dici debeat, quod tantum bonum prohibet.



Et si hoc ipsum modicum vel grande amoveris, & perfecte vice-  
ris, erit, quod petisti.

3. Statim namque, ut te Deo ex toto corde tradideris, nec hoc vel illud pro tuo libitu seu velle quæsieris, sed integre te in ipso posueris, unitum te invenies, & pacatum; quia nil ita bene sapiet & placebit, sicut beneplacitum Divinæ voluntatis.

Quisquis ergo intentionem suam simplici corde sursum ad Deum levaverit, seque ab omni inordinato amore, seu displicentia cujuslibet rei creatæ evacuaverit, aptissimus gratiæ percipiendæ ac dignus devotionis munere erit.

Dat enim Dominus ibi benedictionem suam, ubi vasa vacua invenerit.

Et quanto perfectius infimis quis renuntiat, & magis sibi ipsi per contemptum sui moritur, tanto gratia cele-



celerius venit; copiosius intrat, & altius liberum cor elevat.

4. Tunc videbit, & affluet, & mirabitur, & dilatabitur cor ejus in ipso, quia manus Domini cum eo, & ipse se posuit totaliter in manu ejus usque in seculum. Ecce sic benedicetur homo, qui quærit Deum in toto corde suo, nec in vanum accipit animam suam. Hic in accipiendo sacram Eucharistiam magnam promeretur Divinæ unionis gratiam, quia non respicit ad propriam devotionem, & consolationem, sed ad Dei gloriam & honorem.

## CAPUT XVI.

*Quod necessitates nostras Christo aperire, & ejus gratiam postulare debemus.*

## VOX CHRISTI.

1. **O** dulcissime atque amantissime Domine, quem nunc devote desidero suscipere, tu scis infirmitatem